

aut sapius acciderit aëris inæqualitas, brevi fame periremus omnes. Idem de cæteris artibus dicendum est. Verum si opifices & mercatores, licet semel atque iterum aut sapius frustrati fuerint optato negotiorum in quibus versantur exitu, ab opere non desistant, sed denud pari cum alacritate ad idem opus redeant; si illi tantam adhibeant curam studiumque circa res ad præsentis usum vitæ pertinentes, licet exitus sit incertus; tu si loquens non auditus fueris, illicò desines? Et quam obtinebis veniam? Quid excusationis afferes? *D. Chrysost.*

Præterea vix fieri potest ut sermo omni fructu vacet; nam illi ipsi qui ad peccatum redeunt, cum aliquo timore, & non cum tanta libertate id faciunt. Ulterius, si non prodest sermo malis, bonos tamen in bonis confirmat propositis. Denique, si secunda vel tertia vice non persuades, forsitan quarta aut quinta id facies: *Si percussisses terram quinq̄ies, aut sexies, aut septies*, dicebat Elisæus ad Regem Israël, *percussisses Syriam usque ad consumptionem; nunc autem tribus vicibus percuties eam.* 4. Reg. 13. v. 19.

Fac tu similiter pro exterminando peccato & peccatore salvando. Non est abbreviata manus Domini; tuum non est nosse tem-

pora vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate; tuum est clamare & non cessare. Licet piscator per totum pœnè diem in vacuum laboraverit, nihil per rete attrahens, quandoque sub noctem piscem quæsitum involvit. Venator pariter diu perseverat, & tandem prædam capit quæ sapius effugerat. *D. Chrysost.* Argue & tu piscator hominum & animarum venator, obseca, increpa in omni patientia, & doctrina; & sicut Apostolus Petrus se ad Jesum non convertit post primum aut secundum galli cantum, sed post tertium; sic & tu, Deo adjuvante, tandem fratrem tuum forsân lucraturus es. Hos imitare medicos qui convicia & ineptias phrenetici tolerant, nec de ægritudine desperant.

Interim omnem charitatis benignitatem & compassionem erga peccatores affectu paterno demonstra, sic eos interdum alloquens cum *D. Chrysostomo*: *Vellem, si fieri posset, vestris oculis ostendere quam in vos habeo charitatem. Nihil est mihi vobis jucundius & desiderabilius, nec hac ipsa quidem lux. Millies enim optarem ipse esse cæcus, si per hoc liceret vestras animas convertere: implete desiderium meum animas vestras salvare conando, &c.*



*Vis autem, Frater, efficacius corrigere? lacrymare, ora Deum ex corde. S. Chrysost. Sic se gerebant veri Patres & Pastores; ubi erant inutiles sermones, ibi suspiria edebant, orationes fundebant & lacrymas, diris se cruentabant flagellis, ut Deus peccatores benigno suo vultu illustrare & reducere dignaretur. O veros Dei homines! o quam magni faciebant vel unam convertere animam & salvare! Ubi est nunc zelus eorum? Væ nobis, idolis & simulacris! Hanc ingeniosam charitatem pro nostra salute non habemus; quid mirum si hanc pro aliena non habeamus? Nam qui sibi nequam, cui bonus erit? O ignavos & indignos Evangelii præcones! Misereatur nostri Deus, misereatur nostri, & nos flammam ignis facere dignetur.*

IV. Quod verbis prædicasti, hoc factis confirmare contende, ut te primum salvum facias, & eos qui te audierint. Quapropter inhæreant animò hæc divina oracula: *Tandem ego, imò ego ipse concionator moriar; post ista qua nunc obo magisteria, manifestandum sum ante tribunal Christi, strictam villicationis meæ ei rationem redditurus. Ecquid proderit mihi si, universum mundum lucrer, anima verò meæ detrimentum patiar? Quam stultus,*

*quam pro anima mea commutationem dabo? Quam multi concionatores eximii, præclare quidem dicentes, sed non facientes, detracti sunt è Cathedra Evangelica in profundum tartari! Quid mansri similis, quam quodd, cum plurimis saluti fuerint, ipsi miserrimè perierint! Proh pudor! proh dolor! proh desperatio! Nonne tamen sicut patres mei, ita & ego fieri periclitor?*

Si his & aliis tantillum movearis, charissime Frater, nonne placens Deo, misereberis animæ tuæ? Quo fervore castigabis corpus tuum? Qua animi alacritate laborabis, dum tempus habes, sicut bonus miles Christi, & operaberis bonum usque ad mortem, ne fortè, cum aliis prædicaveris, ipse reprobus efficiaris? Sic se gerebat ex propriæ damnationis periculo Apostolus Paulus, quamvis vas electionis esset; nos verò qui aliter agimus, quid sumus? quid erimus?

#### ARTICULUS XX.

*Studiosa puerorum catechizandorum cura.*

**P**ræter eximium illud concionandi munus, est & aliud, quod quidem licet paulò demissius videatur, non idèò tamen